



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

21 Venditor quando interesse lucri cessantis iustè petit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

fit puta quia minus valet actio ad rem aliquam, quam res ipsa præfens, & quia minus vile est, quod post annum vile erit, quam quod statim vile est, licet id fieri potest.

DECISIO XX.

Ex conf. 19. alias 20.

20 **V**enditio cuiuslibet mercis, facta maiore pretio iusto ob dilatam solutionem, iniusta est, nisi venditor volebat illam servare sibi in tempus, in quod solutio differtur, & dubium esset, an tunc plurius, vel minoris esset valitura. ca. in civitate. & c. consulte. & c. si. de vsur. & Nauar. in Man. cap. 17. nu. 216. Quoties enim merx plurius venditur, quam valet, fit iniustitia; vt ait S. Tho. 2. 2. q. 76. art. 1. nisi venditio aliunde ab iniustitia excusetur.

DECISIO XXI.

21 **V**endens villam valoris quindecim millium aureorum alteri, cum pacto, quod statim soluantur ei tria millia, quia emens non potest alia duodecim in presenti soluere, ex dilatione aliorum duodecim millium in decennium conueniant, vt emptor teneatur soluere pro dicta villa decem, & octo millia, licite potest venditor illud plus ratione lucri cessantis accipere, quod verè intendebat facere, & versimiliter fecisset, si statim solutio illorum facta fuisset; Quia illud non accipitur ob dilatam solutionem pecunie, sed ratione lucri cessantis; Quia sicut licet venditori, si ei soluerentur statim omnia quindecim millia, retinere sibi tria millia, & reliqua duodecim millia mutare emptori egenti eis, & roganti vt mutaret illa ei, soluendo interesse lucri cessantis, quod verè intendebat venditor facere, exercendo mercaturam, vel emendo census annuos, vel prædia frugifera, si ea illi non mutasset; ita Nau. in Man. c. 17. nu. 112. ita in proposito ea ratione lucri cessantis accipere potest.

DECISIO XXII.

Ex conf. 20. alias 4.

22 **Q**ui bona fide aliquem contractum facit, qui communiter creditur esse iustus, & consuetus impune fieri in ea regione, in qua factus est, quamuis vsurarius sit; mortaliter saltem non peccat. Et si enim communiter iuris ignorantia a peccato non excusat, ignorantia de reg. iur. in 6. fallit tamè in ignorantia iuris obscuri, vel dubij, vel infrequentati, vel quæ fouetur auctoritate alicuius Doctoris digni, cui credatur; & faciens a peccato, & pœna excusatur: vnde nec per huiusmodi contractum quaerita restituere tenetur.

DECISIO XXIII.

Ex conf. 21. alias 23.

23 **D**ans centum volenti ducere nauem mercibus onustam in aliquem locum, ea lege quod perderet illa, si nauis periret, & si rediret salua, redderentur ei centum, & viginti quinque, nec vsuram, nec aliquid aliud peccatum committitur; Quia talis nihil accipit, vi mutui expressi, aut tacti, sed vi alterius contractus innominati donantis sub modo, vel recipientis aliquid ob periculum subeandam, quod licite accipi potest. l. 1. & 2. C. de nautico fœn. & ait Nauar. in Man. c. 17. nu. 285.

DECISIO XXIV.

Ex conf. 22. alias 5.

24 **Q**ui contractus illicitos, seu dubios diu exercuit, libros suos diligenter remisere, peritos consulere, & certa certis Dominis, & incerta pauperibus restituere tenetur, vt in conscientia secutus esse possit, vt affirmat Na. in Man. c. 17. n. 92.

DECISIO XXV.

Ex conf. 23. alias 12.

25 **Q**uamuis solutio debiti vim mutui habeat, pro ea tamen ultra sortem sine vsura capere aliquid licet, ratione in-

teresse damni emergentis, vel lucri cessantis, si quod soluenti pro alio debitum contingat. Glo. in c. conquestus. de vsur.

DECISIO XXVI.

Ex conf. 24. alias 28.

26 **C**ontractus locationis, quo quis 25. pecudes alteri tradit ad quinquennium cum pacto, vt pro vsu fructu singularum teneatur conductor, illi soluere in principio anni 25. scuta, & finito quinquennio restituere ei totidem pecudes, & eiusdem bonitatis, iniustus, & illicitus est; non solum quia pensio annua soluenda iniusta est, & maior æquo; sed etiam quia soluitur pensio initio anni, antequam quicquam fructus ex eis percipitur a conductore, quod minuit aliquid de pretio pensionis; Arg. c. de plus peti. & quia contra naturam locationis, & conductionis est, vt periculum rei locatæ ad conductorem pertineat, cum potius contra ad locatorem pertinere debeat, qui est Dominus rei locatæ, cap. 1. de commod. c. 1. de deposit. cap. propter sterilitatem de locat. & Nauar. in Man. c. 17. nu. 119 & 260.

DECISIO XXVII.

Ex confil. 25. alias 29.

27 **C**ontractus fieri solitus a societate super officijs Romæ, & alibi, vt habens officium vèdibile pecuniam aliquam accipiat, & faciat conferentem illam participem reddituum sui officij ad rationem 12. pro centum, ea lege, vt pecunia maneat salua, & extra periculum conferenti eam nulla habita ratione quantitatis reddituum officij, dum conferens pecuniam viuat, & quod possit discedere ab illo contractu, & repetere pecuniam singulis semestribus dum viuat, & quod, si moriatur antequam discedat tota pecunia collata quaeratur officiali; Quamuis nec ratione emptionis, vel venditionis, quæ non reperitur in eo, nec ratione mutui, quia mutans nil ultra sortem capere potest; c. 1. 14. q. 3. & cap. consulte de vsur. nec sola ratione societatis requiritur, vt omnes socij de damno, & lucro participant. ex Nau. in Man. c. 17. nu. 251. quod in illo contractu non reperitur; nec ratione census iustificari possit, cum pecunia data pro censu repeti nequeat, nisi saltem volente censuario; Ex eo tamen iustificari potest, quod dans pecuniam in societatem secundum præfatam consuetudinem subeat periculum perdendi totam sortem, si moriatur, antequam a societate discedat vnde merito lucrari potest, quod iuste respondet illi periculo, non quidem ratione societatis, sed ratione periculi, quod subit in vilitatem sui socij.

DECISIO XXVIII.

28 **P**actum quod in huiusmodi societatibus solet apponi, primo vt conferens pecuniam possit desistere a societate, quando vult; & secundo quod socius teneatur statim, vel infra quindecim dies reddere pecuniam; & tertio quod tantum lucri soluat eam deponenti, donec eam reddat quantum soluebat durante societate, quoad duo priora capita iustum est, cum regulariter contractus ex conuentione partium legem accipiat. l. 1. §. si conuerit, ff. de positi, & c. contractus. de reg. iur. in 6. Quoad tertium vero iniustum est, eo quod tunc cessauit societas, & periculum perdendi totam sortem, ratione cuius tantum lucrum dabatur, & cessante causa, cessare debet effectus. Potest tamen conferens pecuniam ratione damni emergentis, vel lucri cessantis tantum lucrum accipere, quantum post quindecim dies lucratus fuisset, ad diem mortæ solutionis, si ei soluta sua pecunia statim fuisset, & officiatius illud soluere tenetur. ex S. Tho. 2. 2. q. 62. art. 4. & q. 78. artic. 2. ad primum.

DECISIO XXIX.

29 **I**ncertitudo, seu dubium perdendi, contractum facere potest iustum, qui alias esset iniustus; vnde dubium, an merx sit valitura plurius tempore solutionis, facit vt illa vendi possit